



**Erasmi a Chokier Tractatus absolutissimus de  
iurisdictione ordinarii in exemptos, deque illorum  
exemptione ab ordinaria iurisdictione**

Mvltis Pontificvm Decretis, Et SS. Congregationis ... Cardinalium  
Declarationibus illustratus ; omnibus in iudicio Civili & foro Ecclesiastico  
versantibus perquam utilis ac necessarius ; in duos tomos ab ipso Auctore  
distinctus

**Chokier, Érasme de**  
**Coloniae Agrippinae, 1684**

12. Religiosi exempti, an transire possint ad strictiorem regulam sine  
venia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61886](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61886)

QVÆSTIO XII.  
Religiosi exempti an transire possint ad strictiorem regulam  
venia non obtenta.

## SUMMARIUM.

1. Licentiam satis est petere licet non concedatur.
2. Secus in exemptis.
3. Differentia est an licentia petatur à Papa vel à legato à latere.
4. Consensus an præcedere vel sequi possit.
5. An valeat consuetudo transiendi ad aliam religionem sine consensu Papæ aut legati.

- 1 Innocentius tertius Pontifex Priori & conventui Dimoliensi rescripsit posse religionem zelo sanctioris vitæ ad religionem transire strictiorem, petita prius licentia prælati sui, licet non obtenta etiam si primum monasterium sit privilegiatum quod de illo ad aliud etiam arctius transire non possit *cap. licet quibusdam de regularib.* Quod quidem licet ita regulare sit in Prælati tamen exemptis aliud dicendum est quod quidem licet ita regulare sit in Prælati tamen exemptis aliud dicendum est quod omnino necesse ut eam obtineant ita determinavit Clemens 4. referente Hostienti ex Imola & Archidiacono *cap. si Abbatem de elect. in 6. lo. Andr. d. cap. licet & cap. cum non stat. de reg. iur. in 6. ubi Franc. num. 2 usque ad finem.* Quia de re Philippo Francuse eodem loco distinguit inter Papam & legatum à latere. Etenim cum solius sit Papæ religiones confirmare eius etiam solius esse potest professiones & transitiones in aliam religionem impedire *Anto. de Rosella tract. de concub. qu. Pontifex maximus nunquid circa impedim. matrimonij &c. vol. tract. 2. fol. 51. col. 4.* qui quidem si inquit non quidem denegavit licentiam Prælati exempto sed nec etiam dedit tunc Prælati poterit prælaturam dimittere, & religionem ingredi *per not. d. cap. licet & cap. cum venerabile de consuetud. in 6. non enim videtur exemptus fortius adstrictus Papæ quam Monachus Abbati vel servus Domino.* Maxime quod Papa semper in potestate habeat prof. ssum ad priorem religionem revocandi *Franc. d. n. 2.* At vero, legatus à latere si Prælati exempto licentiam denegat poterit licite in aliam transire religionem atque profiteri, non enim obtinet legatus quamvis à latere supremam potestatem nec religiones approbare aut tollere potest *lo. Andr. d. c. cum non stat. ubi Franc. num. 3.*
- 2 Utrum autem quando obtineri debet licentia ea debeat actum præcedere vel satis sit si sequatur plenioris est disquisitionis, sufficienter ab Abbate disputatum ad quem recurri poterit *in lata Apostolla ad d. ca. licet de Regular.*
- 3 Item utrum valeat consuetudo quod Prælati exemptus transire possit ad aliam digni-

dignitatem sine licentia legati aut Papæ determinat Innocentius negative per tex. in cap. cum venerabilis de consuet. Bald. in Margarit. verbo Abbas exemptus. Hodie quisquis ille sit qui ad strictiorem, moralicam vitæ normam transilire latagit, laudabiliter facit, si auctoritate S. Pontificis aut S. congregatione Illustrissimorum Cardinalium negociis Regularium præpositorum id faciat: tum quod tutius, tum quod gratius S. Sedi, quemadmodum suis ad me literis, scripsit summæ viri prudentiæ Ricardus Pauli stravius Protonotarius & dictæ congregationis à secretis.

—————  
 QUÆSTIO XIII.

Concedere an possit Pontifex privilegium ne quis excommunicetur.

SUMMARIUM.

1. Concesso privilegio ab Episcopo excommunicari possit poterit nihilominus ab eo puniri seu coram eo conveniri.
2. Privilegium non valet ne quis à Papa excommunicari possit.
3. Imperator imperium non potest lacerare.
4. Papa non potest sibi ligare manum.
5. Papa & Imperator fratres nati.

Duplex facio huius quæstionis caput, primum ne ab Episcopo posterius ne à se seu à sancta Sede excommunicetur in priori nemo unquam merito dubitavit uti superius à nobis satis notatum est lib. 1. quæst. 3. sub finem licet incidenter dubitatum fuerit an concesso eiusmodi privilegio quis ab Episcopo excommunicari possit coram eo saltem in jus trahi conveniri ac puniri possit, cui dubio cum Abbate affirmative respondemus in cap. cum capella n. 6. vers. ultimo quæro de privilegiis dixi supra lib. 2. c. 49. & infra quæst. n. 8. Quo vero ad posterius, sunt qui id privilegii vendicant, quod ne quidem à Pontifice excommunicari possint teste Ioanne Ferialdo in privilegiis regum Francia privilegio 6. Veruntamen, eiusmodi privilegia inutilia esse & vana supra ex Abbate Felino & alijs tradidimus d. qu. 3. sub finem lo. And. c. eius instantia de censibus Bellenc. de charit. subsidio q. 58. n. 1. Oldra cons. 104. incip. circa propositam quæstionem in fin.

Quemadmodum enim Imperator lacerare Imperium non potest Abb. c. cum non licet n. 6. vers. nec etiam posset ubi Fel. n. 14. & in c. ad audiendam n. 4. de prescript. ca. ex Epistola n. 5. de probation. Restaur. de Imperat. q. 104. ita nec Papa, qui sibi ligare manus non potest, c. fin. ubi glo. de rescript. in c. c. innovavit de elect. dixi supra. li. 3. q. 1 in pr. Papa enim, Ecclesia, & Imperator, fratres nati, unde merito de uno ad alterum quis similitudine ducitur argumentum Restaur. de imper. qu. 70. n. 6. lafon. cum add. in l. 1. n. 2. lect. n. 24. C. de sacros. Eccles. sui.